

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De divinae providentiae vestigiis in traditae Augustanae confessionis negotio**

**Crell, Heinrich Christian**

**Francofurti ad Viadrum, 1730**

§IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67545)

tanto opere luculentissimis comprobata documentis vestigia rudi quamvis penicillo adumbremus.

§. IV.

Pressa scilicet adhuc durissimo Pontificiorum jugo Christi Ecclesia dudum jam Evangelii libertatem anxiiis desideriiis suspiraverat, frustra de clericorum affectato dominatu, doctrinae morumque corruptelis conquesta. Sed nemo tantis malis mederi, in tanta Pontificis, ex qua tum pendebant omnia, auctoritate audebat; usque dum augustæ indolis vir MARTINUS LUTHERUS tam arduo negotio non sine summi discriminis alea defungeretur. Ille enim incredibili Indulgentiarum protervitate, qua tum omnis Germania fere inundabatur, offensus, primo contra *Tozelium* in Vitebergensis Academiae vicinia vase nundinantem insurrexit; expositis A. 1517. d. 31. Octob. publico conflictui thesibus, quibus vendendæ nummis peccatorum veniæ iniquitatem plenus divini ardoris impugnabat. Quanti inde animorum motus ubique excitati, quantaque Pontificiorum indignatione ingenua LUTHERI nostri studia excepta fuerint, ex eo satis liquet, quod illum Romanæ sedis Præsul Leo X. A. 1518. Romam accersendum curaverit, oblata simul impendenda itineri pecunia, quo in ipsa herba tantos exstingveret conatus, & Monachum ad obsequium redigeret.

§. V.

Sed Deo ita providente, FRIDERICUS SAPIENS, Saxoniæ Elector frustra multis & precibus & minis sollicitatus, illud Lutheri iter declinabat. Proinde *Cajetano* Purpurato hanc demandabat provinciam Pontifex, ut *Lutherum Augustam Vindelico- rum* advocatum excitatarum, quas putabant, turbarum rationes reddere juberet, omneque negotium componeret. *Lutherus* Dei causæ, quam agebat, confusus ad veritatis documenta edenda promptus sine comite, nullo fidei publicæ instructus præsidio Augustam tendebat; ubi cum multa a Cajetano tentata fuissent, nullisque pollicitationibus ad palinodiam